



PALMIERI

INSTITUTIO  
PHILOSOPHIC

VOL. III

B103

P3

v. 3

1874-76

009710





1080014378



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



INSTITUTIONES  
PHILOSOPHICAE

QUAS TRAEBAT

IN COLLEGIO ROMANO SOCIETATIS IESU

DOMINICUS PALMIERI E. S.

VOLUMEN 3<sup>m</sup>

PNEUMATOLOGIA - THEOLOGIA



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

Biblioteca Valverde y Tellez

Capilla Alfonsina

Biblioteca Universitaria

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA DELLA PACE

1876

FONDO ESTERNO  
VALVERDE Y TELLEZ  
40164



B103

P3

V.3

1874-76



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

## PRAEFATIO IN PNEUMATOLOGIAM

---

Mirabitur fortasse quispiam quod haec tractatio specialis de spiritibus adiciatur Anthropologiae, in qua de humano spiritu disputatum est. Nam nullius alterius spiritus inter creatos praeter humanum notitia certa nobis suppeditata videtur a ratione, cuius luminis ambitu philosophia continetur. Nihilominus etsi sola ratio nos non doceret alterius finiti spiritus existentiam, at docet profecto possibilitatem: id vero satis est ut essentia eius eiusque proprietates obiectum sint inquisitionis philosophicae, quae essentias rerum scrutatur abstrahens a facto existentiae. Verum ipsius existentiam quoque ratio vel probat, vel certe suadet; ut nulla proinde sit causa cur a cursu philosophico exulare cogatur ista tractatio. Est porro utile in primis et necessarium ut praesertim hac nostra aetate de spirituum natura proprietatibus ac viribus disputemus; phaenomena enim frequentia occurrunt quae ab ipsis unice sunt repetenda, quorum idcirco explicatio postulat accuratam notitiam causarum suarum. Hanc tractationem ita distribuimus. Primum vindicabimus possibilitatem spiritus finiti perfectioris spiritu humano ita ut sit spiritus purus; deinde eius proprietates et vires demonstrabimus: tum horum ope rationem reddemus eorum phaenomenorum quae memoravimus.

---

009710



CAPUT I.

De spiritus puri possibilitate.

Primitiva significatio vocis *spiritus* eo spectat ut designet aliquid tenue et facile mobile, minusque visibile aut sensibile, cuiusmodi est aer, aether, ventus, id nimirum quod materiam hanc crassam et penitus inertem excedit. Tum deinde deductum est ad id significandum quod materiale licet attamen subtilius existens in viventibus principium quoddam est motus in eorum corporibus, ut illud proinde significet quod perfectius adhuc recedit a crassitie et gravedine materiae. Tandem translatum est ad significandum id quod essentialiter differt a materia, cuiusmodi sunt animae, et potissimum id quod materiam ita excedit ut ab ea in operando sit independens, ut sunt entia intelligentia. Qua postrema acceptione vox *spiritus* designat quidem ens intelligens, sed simul significat eius excessum supra materiam, quae significatio, ut ex dictis liquet, in voce *spiritus* plus minus semper reperitur. Hac ergo ultima significatione, quae ob continuum usum vim pene amisit metaphorae, Spiritus concipitur ens simplex materiam et corpus excedens, ab iis in operando independens, vivens vita intellectiva.

*Spiritus purus* est spiritus nulli corpori naturaliter unitus, sive spiritus qui per se est natura completa, non pars alicuius naturae. Hic est scilicet communis conceptus *spiritus qui sit corpori naturaliter unitus*, ut sit nempe pars naturae quam constituit cum corpore, ideoque per se non sit natura completa.

At fieri potest quaestio an non possibilis sit alio modo unio naturalis spiritus cum corpore, quatenus nimirum corpus illi sit semper unitum ut complementum debitum suae perfectionis, uniatum autem illi tantummodo tanquam in-